



## **Diversi Tractatvs**

**Coloniae Agrippinae, 1629**

Dispvatio Vnica. Vtrum ipsimet sensus dijudicare valeant, an decipiantur  
in suis operationibus, necne?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61359)

intellectu superare facultatē totius naturæ creatæ: v. g. suscitatio mortuorū, vel aliquid simile, de quibus diximus in disputatione quarta, infallibile signum est, eum effectum præstigiolum, & apparentem duntaxat esse.

*Dico tertio.* Quædam aliæ coniecturæ sunt ad idem dignoscendum; quædam ex duratione sumptæ: nam si effectus citò eualescit, aut parum durat; cōiectura non leuis est, fuisse fallacem, & fucatum: eo quod quæ à natura sunt diutius permanent, quàm quæ ab arte: item si celeritate nimia plus solito coalescit. Ac denique ex alijs circumstantijs coniectura sumenda est: hoc præ oculis habente, quod superius docuimus disputatione quinta, asserto secundo, operamiranda dæmonum, ac Magorum, vt plurimum fucata esse, & duntaxat apparentia. Sed est digna scitu.

## DISPUTATIO VNICA.

*Vtrum ipsimet sensus diiudicare valeant, an decipiantur in suis operationibus, necne?*

**E**T quidem dubitatio non procedit quando deceptio prouenit ex organi læsione: quia si propter organi læsionem, aut dissipationem deceptio procedit, nequibit legitime de ea iudicare, ad quod iudicium integritas organi requiritur. Neque habet locum quæstio, quando deceptio dimanat ex parte speciei; putatà, qui per propriam speciem ab i-

maginatione defluentem, quia iudiciū illud debet fieri specie: quod si alicuius obiecti specie propria informatur sensus, impossibile erit aliter, quàm per eam representatur, iudicare. Totū ergo disputationis pōdus incumbit, quādo deceptio prouenit ex parte obiecti sensationis, e-mentiti, ac effecti à dæmone, vel à Mago ope dæmonis, an ipse sensus suamet sensatione, potens sit ad dignoscendū, vtrum illud obiectū effectum sit à dæmone, an à natura formatum. Vtrum verum sit, an tantum apparens: v. g. videt quis spectrum mulieris pulchræ, dubitatur an ipsa spectri visione facultas visiva possit apprehendere, obiectum illud non esse veram mulierem, sed duntaxat apparentem.

Et videtur vera pars negatiua. Nam dæmoni facillimum est per motum localem, aut alterationis, applicando actiua passiuus, sic effingere obiecta omnium sensuum, ac si à natura essent formata. Quod patet inductione facta in obiectis omnium sensuum: in visus obiecto res clara est, ex innumeris fallacibus apparitionibus, quibus dæmon fefellit oculos intuitiuum: in auditus etiā obiecto non minus facile, fingēdo voces humanas, & armoniā musicam. Multa narrat Syluester de strigima. lib. 2. cap. 5. puncto 3. se accepisse à quodam amico sibi fide digno. *Quidam, Syluester, ait Syluester, in ciuitate Bononia satis religiosus Sacerdos, mihi amicus, cui Hieronymo à Viola, seu Lira nomen*



men erat, quod eiusmodi instrumentum peroptime tangeret, mihi ad annum Domini 1500. in hanc sententiam retulit, ex Necromanticis, quidam mihi (inquit) cognitus dum me lyram tangere crebro videret, ostendam (aiebat) aliquando meos pulsatores, & quam nihil scias videbis: cumque festo quopiam ad tempus Quadragesimale post cibum, sanctum Michaelem in Vosco, declinata semita per vineas, angusto calle conscenderemus, medio itinere lasi quieuimus: cui ego: Quando illos, de quibus tories, pulsatores, auditurus sum? Qui statim quibusdam in terra formatis, respice ait sursum, vidique in aere quoddam pernicialium agmen, ut videbatur aulis ludentium, & descendantium, ac descendendo crescentium: qua cum in terra steterunt, quindecim iuvenes pulcherrimi quindecim instrumenta musicalia tangentes fuere: tota verò intentione ferebat in eum qui lyram tangebatur, quod in audio, visum est mihi, quod in ea arte scirem penitus nihil. His verò iussu Necromantis disparentibus, & corursus characteres effingente: denovo similia, ut prius, sed plura apparere; qua dum in terra consistenter, fuerunt qui prius quindecim iuvenes pulsantes, & pulchra totidem cantantes, quibus (pareat, inquit, mihi Deus si in hoc pecco) aut pulchriores, aut in pulchritudine pares vidi nunquam. Hæc ille. In obiecto etiam gustus, & tactus, idem apparet, in casu superius allato, de conuiuio præstigiolo in nuptijs Menippi cum larua quadam, quod supra retulimus.

Sed quia circa sensum tactus, præcipua difficultas est, ut videbimus argumento secundo ex cap. 18.

Gen. ubi habetur Angelos in figura virorum receptos ab Abrahamo latione pedum, non esse deprehensos, non habere veras carnes, ac ossa, Tertio. Omnia quæ in carne, & ossibus reperiuntur à dæmone valent graphice efformari, ac simulari, nèpè ossium durities, carnis mollities, tepor, ac luavis calor, qui tactu percipitur, & cætera tangibiles qualitates: ergo quamuis veras carnes (quæ à principio viuentis necessariò sunt) nõ valeat producere: si mulare tamè ac efformare, ut tactui tales appareant, poterit efficere, ac ex consequenti sic tactu fallere, ut ipse non percipiat deceptionem. *Constr.* quia sensus visus præstantior potentia est: ergo minorem deceptionem patitur. His & alijs mouetur quidam moderni, ut existiment non posse tactum percipere deceptionem quam cæteros sensus.

In oppositum est dictum Christi Domini, Luc. vltim. qui ut probaret suum corpus post resurrectionem non esse phantasticum, sed naturale, ait Discipulis dubitantibus: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa nõ habet, sicut me videtis habere.* Quæ tuasio nullius esset efficaciz nisi per tactum discernatur inter veram, & simulatam carnem, inter vera, & ementita ossa. Posset enim quis occurrere dicens: Etiam phantasmata dæmoniaca habent carnem, & ossa simulata, ac tangibilia, ac palpabilia, ita ut deceptio per tactum nequeat deprehendi.



Secundo, Magi ac lamiz quæ cum dæmonibus familiariter cōuersantur, maximè tactu pertinente ad generationem, falsæ sunt sæpè, se conquestas apud dæmones incubos, eorum corpora assumpta, siue cadaueta, siue aërea corpora formata, esse tactu frigida, & horrida, & dæmones respondisse (vt refert Caiet. 2.2. 9. 95. art. 3. ex certa relatione earum) se non posse melius facere: ergo aliquid est in carne, & ossibus tãgibile, quod non potest perfectè obubrari à dæmonibus, ita vt tactus omninò decipiatur.

Sit tamè assertum nostrum. Potest dæmon ita omnes differentias coloris, ac lucidi, ac denique omnia, quæ spectat ad sensum vītus effigiaré, vt omninò decipiatur apprehensens rem phantasticam, & apparentem, vt naturæ, & veram, nō valens per se ipsum percipere eam deceptionem. Hæc assertio non indiget probatione.

Secundum assertum. Circa obiectū auditus, sic & dæmon negotiari potest, vt potentia præfata omninò decipiatur, non valens percipere suam deceptionem. *Probat*: quia obiectū auditus est sonus, sed dæmon per localem motum, aut alterationem, potest efficere veros sonos, & omnes eorum differentias, aut saltem simulare: ergo omnino sic decipi potest, vt suam deceptionem non deprehendat; sed existimet eos sonos à causis naturalibus prouenire, non à dæmone. Aliqui accipiunt ab hac

assertione voces humanas, quas aiunt dæmones nō posse ita perfectè imitari; quin attente audiens efficitas à dæmone, non percipiat eas voces non esse verè vitales, sicut re vera non sunt. Hi nituntur primo: quia sagæ plurimæ comprehensæ, falsæ sunt dæmones eas alloquētes, id efficere voce stridula, instar sibili, confusa, obscura, debili, pusilla, & quasi ex dolio per testam ruinosam. Ita Remigius lib. 1. de monolatr. capit. 8. ergo signum est, eos non posse imitari perfectè voces humanas, aliàs perfectè obumbrarent, vt melius deciperent.

Secundo. Quia & voces formentur (maximè humane, quæ magnam de articulationem exposcunt) quamplurima instrumenta requiruntur, eorumque functiones plures, & difficiles: ergo nō poterūt dæmones ita perfectè formare, quin deprehendatur non voces humanas esse, sed fictas, & simulatas. *Antesedens* ostenditur ex Philosophis, & Anatomicis quamplurimis, maximè ex Vesalio lib. 7. de humani corporis, qui ad numerum quinarium reducunt interiora instrumenta vocum humanarum formandarum, pulmones thoracis, & intercostales musculi, aspera arteria, larynx, gargarium. Pulmones seruiunt ad excipiendum aerem, & idè inest eis raritas quædam, & mollities similis spongijs, quæ se contrahunt, & dilatant. Musculi facultate motiua, quæ pollent; siue thorax, ijs median-

tibus



tibus compressum aërem diuerberant, & expellunt; alioqui neq; vox, neque sonus ullus esse potest. Aspera arteria, est via quæ à faucibus ortum ducens, varijs compacta cartilaginibus, per collum in pulmones decurrit, & ut trahere ac reddere spiritum possit assidue patet. Diciturque aspera, ob inæqualitatē; sicut & illæ, quæ à corde procedunt, & pulsum denuntiant, leues nuncupatur. Larynx est superiori finis asperæ arteriæ, laryngis verò summum ostiū ne quid cibi, potūve, per id dilabatur, cōregit membrana cartilaginosa, quibus larynx constat, linguæ as-similis, & ob id lingula vocatur. Hæc verò cum spiritum identidem recipiamus, sursū erigitur. Gargalio, seu gurgulio est caruncula rotunda in extremo palati dependens, sub qua in epiglottis, seu uvula.

His itaq; instrumentis vox in hūc modū editur: musculis thoracis, & intercostalibus, vehementer cōprehensus aër, è pulmonibus per arteriā vocalem confestim deducitur, qui angusta via tractus, in aerem in arteria vsque ad laryngem epiglottidis oppositum retentum, impingit. Hic ad guttur, summamque arteriæ partem allisus, sonat; ac vocem effingit, quam si lingula opposita non esset formare non posset, qui totus sine percussione profliret: confert verò plurimum ad formandam vocem, gurgulio, & lingula, quia vox ad eas partes frangitur, & temperatur; ac pro varietate percussionum, diuerse

vocum flexiones fiunt. præsertim verò gurgulio, quasi plectrū ad suavitatem, & moderationem vocis conducit. Præter hæc commemorata instrumenta, alia plurimum ad dearticulandas voces conducunt; vt lingua, palatum, dentes, & labia, vt experientia teste agnovimus.

*Tertio.* Supposita opinione eorum qui censent ipsūmet auditus obiectum verè, & realiter vsque ad auditus tympanum referri, est argumentum. In vocibus, præcipue humanis, est quædam tenebitudo ac mollitudo, delectans valde auditū, eo quod à principio viuente proficiscatur: hanc non potest perfecte imitari demon, cum non sit vitale principium: ergo non sic perfecte poterit simulare humanas voces, quin defectus imitationis, ab auditu hominis attentè, deprehendatur.

Nihilominus censeo assertum nostrum secundum sine vlla exceptione esse firmandam in obiectione quocunque potentie auditivæ. Et ad obiectionem in oppositum *respondet.* Ad primam, quamvis demones per motum localem, & alterationes possunt perfecte effingere, & dearticulare voces humanas (quod & res inanimes possunt efficere, & efficiunt sæpè, vt patet in tibijs, organis: & in cauis vallibus resonat echo, quanto melius spiritus nequam id efficiunt?) tamen non semper sinuntur facere quantum possunt; sed confusè satis, & imperfectè voces humanas edunt, Deo disponente.



nēte, vt auditus, qui est potentia cōducens ad veritates naturales, & supernaturales recipiēdas, nō omninō decipiatur, sed habeat vnde possit discernere, & deprehēdere se aliquādo decipi à dæmone, nempe ex voce confusa, stridula, & pusilla, qua dæmones vtūtur, quia sæpè alia expressiore, & magis articulata vti non permittuntur à Deo propter hominum bonum. Possiant tamen attenta sua naturali facultate, & aliquando id efficere non dubito.

Pari ratione philosophandū reor circa obiectum visus. Quamuis enim possint dæmones affabrè effigiare, & ementiri figuram cuiusuis rei, imò aliquando Christi Domini; tamen semper, aut ferè semper, Deo cohibente potentiam dæmonū, in figura adest aliquis defectus, vnde deprehēdatur effigiem esse fucatam, & opus esse dæmonum. Ostendunt se humana figura sæpè; sed corpore atro, squallido, fœcete, & formidabili, aut saltem obscuro, nigro, fædoque vultu, naribus vel deformiter simis, vel nimis aduncis, instar aquilæ, ore deformi, oculis valdè intrusis, flammantibusque, manibus, pedibusque obuncis, aut ad modum vulturis, strigosis brachijs; cruribusque, & villo fusco plenis, ribijs caprinis, vel asininis, aliquando vno pede, aut vtroque; truncato, denique statura corporis nunquam iusta, ac decora: sed cui semper adsit aliquid insolitum, vt sic homines percipiant dæmonis fraudes, nec se ab huiusmodi spectris

sinant deludi. *ad secundam obiectionem respond.* Ea omnia formandæ vocis instrumenta, & eorum functionem per motum localem, & alterationem si opus est, potest dæmon perfectè effigiare. Ad tertiam responder, nos non asserere veras voces posse à dæmonibus fabricari, quia loqui actio vitalis est, quàm in dæmone reperiri non posse asseruimus cum D. Thom. vbi sup. sed docemus eas posse tam perfectè simulare, vt nihil in vocibus humanis reperitur, quod dæmon non possit per motum localem, aut alterationem, sensui præsentare; ac si veræ voces ei insonarent: etiam admissa illa opinione, quam fallam reputamus.

D. Thom.

*Tertium assertum.* Omnes tangibiles differentias potest dæmon ita perfectè fabricare, vt potentia tactiva nequeat obiectum esse à dæmone apprehendere; præter quam carnes, & ossa, nervos, & alia, quibus fabrica corporis viuentis constat, quæ perfectè simulare dæmonē, impossibile putamus. Secunda pars, circa quam difficultas incumbit, probatur argumentis factis in oppositum; præcipuè argumēto primo desumpto ex Diui Lucæ testimonio, cui consonat Diuus Ioannes in 20. capit. *Ioan. 20.* sui Euangelij, narrans apparitionem factam Discipulis, & Thomæ, quando erat cum illis. Præterea. Temperamentum carnis, ossium, ac nervorum pertinet ad obiectam tactus; non enim solum percipit primas, & secundas qualitates, duritiem ossium, mol-

Gg

mol-



mollitudinem carniū, sed etiam temperamentum earum partium viventium, maximè animalium: sed huiusmodi temperamentum non potest perfectè fabricari à dæmone: ergo quando id simulat, tactus simulationem percipiet (& loquimur de tactu, non excludendo à concomitante sensu communi, in omni sensuum externorum operatione.) *Minor probatur:* quia illud temperamentum consistit non in sola mixtione qualitarum tangibilium, non in duritie, aut mollitudine, sed in temperie resultante ex his, vt à principio vitali, & animato, proficiscitur.

*Obijciat quis primo.* Quia eandem temperaturam possumus in obiectis aliorum sensuum fingere, & dicere, hanc vitaliter non posse fabricari à dæmone. *Secundo.* Estò ponatur in solo tactu, vt percipiatur non est necesse esse veram temperiem carnis, sed est effectam, sicut in alijs sensibus simulatus color ita percipitur sicut verus, simulata vox humana, sicut vera. *Tertio.* Per fluxionem speciei carnis à phantasia ad tactum vsque poterit percipicari, ac si re vera esset præsens, vt supra dicebamus in disputatione immediatè præcedenti. *Respond.* *ad primam obiect.* Ad visus, vel auditus obiectum non pertinet temperamentum subiecti, sed solus color, aut sonus; secus ad obiectum tactus, imò & gustus, qui percipiunt vt differentiam proprii obiecti temperantatum carnis, ossium, &c.

*Ad secundam respond.* Obiecta vi-

sus, auditus, & fortasse olfactus intentionaliter immutant, saltem non est necesse realiter potentias immutare: at verò gustus, & porissimè tactus obiecta, vel non immutant intentionaliter (vt Medici volunt) aut si ita immutant, necesse est simul immutare realiter: per affixionem & impressionem realem cum organo præfatorum sensuum, gustus scilicet, & tactus; & idè nisi adsit, & illis iungatur verum carnis, aut ossium, &c. temperamentum, nõ sentiēt se immutari vera carne, & veris ossib. *Doctrina est D. Th. in 4. dist. 8. q. 1. art. 3. q. 1. & 2.* Quomò autem cū hoc saluetur, omne sensibile positum supra sensum non causare sensationem, non est huius loci, sed ad secundum librum de anima pertinet, nos aliò properamus. *Ad tertiam.* Per solam effluxionem specierum ad tactum, vel gustum, qui est quidam tactus, nequeunt tangibilia percipi, vel quia non immutant intentionaliter, aut si ita immutant, etiam realiter imprimere sensorio necesse est. *Secundo respondetur,* nos dumtaxat differere de deceptione proveniente ex parte obiecti, non verò ex parte mediij, id est, speciei: sed præstat prior solutio. *Ultimo probat.* nostrum assertum, carnes cadaueris super exanimis, magis accedunt ad veras hominis viventis carnes, quàm carnes, quæ fingi possunt à dæmone per aëris condensationem, aut aliorum humorum alterationem; sed carnes cadaueris non esse veras



carnes viuentis, affirmant experti se tactu percipere, propter defectum temperamenti à principio vitali proficiscentis: ergo multo melius percipiet carnes à dæmone non esse veras carnes.

Ex dictis infertur non minorem ab hominibus capi delectationem in sensationibus obiectorum à dæmone effectorum erga visum, auditum, & olfactum; quam in sensatione obiectorum harum potentiariū, si à natura producerentur: secus cōtingit in obiectis gustus, & tactus. *Prima pars probatur.* Quia æquè aut plus perfectè possunt trium præfactorum sensuum obiecta effingi à dæmone, quam à natura fabricari, & æquè aut plus perfectè immutare, vt nuper docui: ergo & delectare, quia appetitus sensitiuus, ad quem delectatio pertinet, sequitur in suo opere modum potentiariū apprehensuarum sui obiecti. *Secunda pars corollarij probatur* opposita ratione, & quia sagæ ac lamie sæpe falsa sunt se in coitu cum dæmone incubo, non sentire eam delectationem, quam cum viris experiuntur, nimirum propter scabrositatem, & defectum temperamenti vitalis instrumentorum, à dæmone effectorum. Rectè Caietanus 2.2. qu. 95. art. 3. *Est enim, inquit, tanto humanarum personarū commixtio naturalis delectabilior, quanto verum superexcedit verosimili.* Detinentur autem in his spurcitijs delectabiliter lamie propter alia quæ consequuntur ex communica-

tione cum dæmonibus, & quia deceptor hominum dæmon, id quod deficit de temperamēti vitalis qualitate, supplet alijs voluptuosis spurcitijs. Quare quidam incubus dæmoni in figura pulchræ scemine, quæ Catherinam appellabat, captus, & igni statim tradendus, ridens diu, interrogatus de risus causa, dixit se recordari de lenocinijs, & blanditijs suæ Catherinæ (dæmonis succubi) & cum iam flamma occupabat, idem, inquit, faciam: ita refert Syluester lib. 2. de strigi magis, cap. 5. in fine.

*Ad argumenta facta in principio dubitationis resp.* ad primum concedendo intentum quoad omnes sensus, excepto gustu, & tactu propter argumenta tacta in oppositum, & propter rationes allatas in tertio assero: nec tamen negamus homines alijs affectionibus occupatos, vt Menipum captum amore illius sagæ, & illius pulchritudine ludificatum, de facto ac sæpe decipi in tactu, & gustu sensatione, sed homo attentus gustu, & tactu ea cibaria percipere vt inania.

*Ad secundum similiter respondetur.* Abrahamum opinione illorum viro- rum præoccupatum, & diuinis intentum, ac nihil doli suspicantem, non mirum deceptum esse, etiam in lotionem pedum; posset tamen deprehendere errorem, si attentè attendisset. Mitto modò, quod ibi non dicitur expressè, an per se, an per famulos pedes Angelorum lauerit, imo neque an dumtaxat aquam pro-



lorione obtulisset, facienda ab ipsismet hospitio receptis.

*Ad tertium resp.* temperamentum verarum carniū, non posse perfectè simulari à dæmone, quia id necessario debet esse à principio viuentis intrinseco, & hoc à tactu percipibile est, sicut calor naturalis vt sic, perceptibilis est per tactum, sed tamen impossibile est à dæmone ita perfectè per alterationem fieri, vt non percipiatur, vtum calor fuerit naturalis, necne, per sensum tactus.

*Ad confirm. resp.* visum esse præstan-

tiorem potentiam tactu propter maiorem immaterialitatem, & propter plures sui obiecti differentias, & propter alia: cæterum tactus minus obnoxius deceptioni propter rationes allatas. Hæc disputata sint pro introductione quæstionis nonagesimæ quintæ, & nonagesimæ sextæ, vbi agitur de diuinatione, & vana obseruatione, quorum criminum malitia ferè tota ortum habet, occasione sumpta ex potentia dæmonum ad mirabilia patranda.

L A V S D E O.



TRA